



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Calvinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

13. Iesu Præceptor, miserere nostri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

reti, & sibi esse utilis, quia opera eius habent dignitatem ad præmium consequendum, & sunt Deo grata, etsi non sunt vitia. In summa, iactantiam operum tollit Christus, quoad ipsos operantes; dignitatem & mercedem operum non tollit, quo ad Deum remuneratorem & iustum Iudicem.

13. *Iesu præceptor, miserere nostri.*

DOcent hæc verba, docetque prompta horum obedientia, quum necdum mundati iubente Christo ad sacerdotem irent, ut se mundos ostenderent, præclara fide istos profos imbutos fuisse. Christi opem implorant, Magistri titulo insigniunt, nullum sanitatis signum videntes promissioni credunt, & fidei impulsu (ait Calvini) proficiscuntur. Ex decem tamen illis iuxta fidem suam sanatis, vnus tantum regressus est dans gloriam Deo. Reliqui nouem ex sententia Calvini fidem amiserunt. Potest igitur amitti fides accepta. Relatur hic Calvini, quod Spiritu adoptionis adhuc regem non erant, & quod principia tantum & semen aliquod fidei acciperunt. Sed neutra cauillatio eum iuvat. Spiritu adoptionis spiritualiter eos fuisse regenitos, & filios Dei fuisse, dubitari non debet; quum Christus corpus sine anima nunquam genuerit, nec sacramentum regenerationis adhuc institutum fuit. Non principium tantum aut semen aliquod fidei, sed magna & fortis fides erat, qua necdum mundati ibant tamen ad sacerdotem, coram quo nisi mundi apparere non debebant: certò credentes se per obedientiam verbo Christi præstitam mundandos.

Fides amitti potest.

14. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.*

Confessio sacramentalis descenditur.

AD hunc locum eadem garrir & reperit Calvini contra confessionem sacramentalem in Ecclesia Catholica, supra ad Matth. cap. 8. garruerat. Cui quæ eo loco responsa sunt, & hic responderi debent. Vnum tamen hic addit quod acerbius Catholicos perstringat, idque mirabili, ut sibi videtur, acumine, sed insigni admodum, ut ostendemus, stupore. Bis (inquit) stulti sunt non reputantes quam turpem infamam maculam suæ confessioni aspergant. Bene scilicet agitur si ex tanta eorum caterua, qui ad sacerdotes profecti fuerint, tantum decima pars ad Christum redeat, reliqui verò omnes impie alienentur. Neque enim obtendere poterunt confessionis suæ titulum.